



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

3. Vtrum ritus circuncisionis fuerit conueniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

hoc, qd homines in quacumque religione aduen-
tur, sicut Aug. dicit contra Faustum: & ideo oportet
tuit prius institui circumcissionem, quam lex daretur.
Illi autem patres, qui fuerunt ante legem, familias
suas instruxerunt de diuinis, per modum patris
ne admonitionis. vnde & Dominus dicit de Abraham,
scio qd praecepturus sit filiis suis, & domui suae
post se, ut custodiant uiam Domini.

l. 19. e. 11. in
fine, ro. 6.

AD TERTIUM dicendum, quod baptismus in se
continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes
homines uocat, secundum illud 1. Timoth. 2.
Qui uult omnes homines saluos fieri: & ideo bap-
tismus omnibus populis proponitur. Circumcisio
autem non continebat perfectionem salutis, sed
figurabat ipsam ut sciendam per Christum, qui erat
ex iudaorum populo nasciturus. & ideo illi soli po-
pulo data est circumcisio.

AD QUARTUM dicendum, quod circumcisio in-
stituta est, ut signum fidei Abraham, qui credidit se
patrem futurum Christi sibi repromissi: & ideo con-
uenienter solis maribus competebar. Peccatum est
originale, contra quod specialiter circumcisio ordi-
nabatur, a patre trahitur, non a matre, ut in secunda
parte dictum est. * sed baptismus continet uirtutem
Christi, qui est uniuersalis causa salutis omnium,
& remissionis omnium peccatorum.

l. 2. q. 81. ar.
5. ad 3. & ar.
2. ad 2.

ARTICVLVS III.

Utrum ritus circumcissionis fuerit conueniens.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod ritus
circumcissionis non fuerit conueniens. Circumcisio enim
(ut dictum est *) fidei quaedam professio est: sed fides
in ui apprehensiuam existit, cuius operationes maxime
apparent in capite, ergo magis debuit signum circum-
cissionis dari in capite, quam in membro generationis.

q. d. 1. q. 2. ar.
3. q. 2. & 3. &
Ioan. 7. le. 2.
Et Ro. 4. le. 2.
artic. 1. & 2.
huius q.

¶ 2 Præ. Ad usum sacramentorum assumimus
ea, quorum est communior usus: sicut aquam ad
ablundum, & panem ad reficiendum: sed ad inci-
dendum communius utimur cultello ferreo quam
petrino. ergo circumcisio non debuit fieri cultello
petrino.

¶ 3 Præ. Sicut baptismus instituitur in remedium
originalis peccati, ita etiam circumcisio, sicut Beda
dicit: * sed baptismus non differtur usque ad octa-
uum diem (ne pueris periculum damnationis im-
mineat propter originale peccatum, si nondum bap-
tizati decedant) quandoque etiam traditur bap-
tismus post octauum diem, ergo circumcissioni non
debet determinari octauus dies, sed debebat quan-
doque præueniri, sicut et quandoque tardabatur.

In hom. cir-
cuncissionis
inter princ.
& med. in
hom. totius
anni repe-
tiones.

SED CONTRA est, quod Rom. 4. super illud, & si-
gnum accepit circumcissionis, determinatur in * gl.
prædictus circumcissionis ritus.

RESPON. Dicendum, quod (sicut dictum est *) cir-
cuncisio quoddam signum fidei est, institutum a
Deo, cuius sapientia non est numerus: determina-
re autem conuenientia signa, est sapientia opus: &
ideo concedendum est, quod ritus circumcissionis
fuit conueniens.

In gl. ord. su-
per illud, si
signum ac-
cepit circum-
cissionis.
art. præced.
huius q.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod circumcisio
conuenienter fiebat in membro generationis. Pri-
mo quidem: quia signum erat fidei, qua Abraham
credidit Christum ex suo semine nasciturum. Secun-
do, quia erat in remedium peccati originalis, quod
per actum generationis traducitur. Tertio, quia or-
dinabatur ad diminutionem carnalis concupiscen-

tia, quæ præcipue in membris illis uiget, propter
abundantiam delectationis ueneriorum.

AD SECUNDUM dicendum, quod cultellus lapi-
deus non erat de necessitate circumcissionis: unde
non inuenitur tale instrumentum præcepto diuini
no determinatum. neque etiam communiter tali
instrumento iudei utebantur ad circumcidendum,
sicut neque modo utuntur. Leguntur tamen ali-
quæ circumcissiones famosæ, cultello lapideo factæ:
sicut legitur Exod. 4. quod tulit Sephora acutissimam
petram, & circumcidit præputium filii sui. & Iosue
5. dicitur: Facti sunt cultellos lapideos, & circumcide
secundo filios Israel, per quod figurabatur circum-
cissionem spiritualem esse sciendam per Christum,
de quo dicitur 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus.

AD TERTIUM dicendum, quod octauus dies deter-
minabatur circumcissioni: tum propter mysterium,
quia in octaua ætate (quæ erit ætas resurgentium)
quasi in octauo die perficitur per Christum spiri-
tualis circumcisio, quando auferretur ab electis non
solum culpam, sed etiam omnem poenitentiam: tum
etiam propter teneritudinem infantis ante octauum
diem: unde etiam de aliis animalibus Leuit. 22. præ-
cipitur, bos, ouis & capra, cum genita fuerint, septem
diebus erunt sub ubere matris suæ, die autem octa-
uo & deinceps offerri poterunt domino. erat autem
octauus dies de necessitate præcepti: ita scilicet,
quod octauum diem prætermittentes, peccabant etiam
si esset sabbatum, secundum illud Ioan. 7. Circum-
cissionem accepit homo in sabbato, ut non solua-
tur lex Moysi: non tamen erat de necessitate sacra-
menti: quia si aliqui omittentibus octauum diem, po-
stea poterant circumcidi: quidam etiam dicunt, quod
propter periculum imminens mortis, poterat
octauus dies præueniri, sed hoc nec ex auctoritate
scripturæ, nec ex consuetudine iudaorum haberi
potest. vnde melius dicendum est, sicut etiam
Hug. * de Sanct. Vic. dicit, quod octauus dies nulla
necessitate præueniebatur. vnde super illud Pro-
u. 4. Unigenitus eram coram matre mea, dicit glo. 7.
quod alius Berabeæ paruulus non computatur:
quia ante octauum diem mortuus, nominatus non
fuit, & per consequens nec circumcisus,

H

I

ARTICVLVS IIII.

Utrum circumcisio conferebat gratiam iustificantem.

AD QUARTUM sic proceditur. Videtur, quod cir-
cuncisio non conferebat gratiam iustifican-
tem: dicit enim Apostolus Gal. 2. Si ex lege est
iustitia, Christus gratis mortuus est, id est sine cau-
sa: sed circumcisio erat quaedam obligatio legis im-
plenda, secundum illud Gal. 6. Testificor omni ho-
mini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ
legis faciendæ. ergo si ex circumcissione est iusti-
tia, Christus gratis, id est sine causa, mortuus est:
sed hoc est inconueniens. non ergo ex circumcissione
erat gratia iustificans a peccato.

¶ 2 Præ. Ante institutionem circumcissionis sola
fides ad iustificationem sufficiebat: dicit enim Greg.
in Moral. 7. Quod apud nos ualeat aqua baptis-
matis, hoc egit apud ueteres pro paruulis sola fides:
sed uirtus fidei non est imminuta per mandatum
circumcissionis. ergo sola fides paruulos iustifica-
bat, & non circumcisio.

¶ 3 Præ. Iosue 5. legitur, quod populus qui natus est
in deserto per quadraginta annos, in circumcisus fuit.
si ergo per circumcissionem auferbatur peccatum ori-

Potest colligi
ex hoc, de
sacra. para-
ph. 1.
ordinis.

Sup. q. 61. ar.
1. ad 3. &
4. d. 1. q. 2. ar.
4. & uer. q. 2.
28. ar. 3. ad
12. & Ro. 4.
le. 2. & 6. q.
10. 5.

lib. 4. c. 5. ad
ca. med.